c

THESES DE MAGIS,

Volente DEO,

publicè tuebimur

NICOLAUS JOH. LUNDE

Præses

&

HENRICUS OLAI BUTZOW


Respondens

In Auditorio



D. XXX. Nov. Anno M.DCC.IX.


HAVNIÆ, Ex Reg. Majest. & Universit. Typographéo.



Imprimatur,

J. BARTHOLIN.





I. N. J. C.

THESIS Ima.
Dantur Magi & Magæ.

Probant tot illis oppoſitæ leges in Sacra Scriptura, Exod. XXII. 18. Lev. XIX. 26. 31.—XX. 6. 27. Deut. XVIII. 10. 11.

Probant tot exempla in Sacr. Scriptura: Ægyptii, Exod. VII. Mulier prædicta pythone Hendori, 1. Sam. XXVIII. 7. 8. Izabela, 2. Reg. IX. 22. Iſraelitæ, 2. Reg. XVII. 17. Manaſſe, 2. Par. XXXIII. 6. Filia Chaldæorum ſ. Babylonia, Eſ. XLVII. 9. 12. Simon, Actor. VIII. 9. 11. BarJehu, Elimas, Act. XIII. 6. 8. Puella, Act. XVI. 16. 17. 18.

Probant Exempla tam in hiſtoria Eccleſiaſtica: ſic fuêre Anno Chriſti 53. Magus Ægyptiacus qvo de Joſeph. Antiqv. libr. 20. cap. 5. & Act. XXI. 8. Anno 130. Valentiniani magicis præſtigiis clari. Anno 240. Helxaitæ. Anno 250. Valerianus Imperator. Anno 975. Dunſtanus Cantuarienſis Archi-Epiſcopus. Ao. 1150. Erito ſ. Eum, magnam ſecum multitudinem magorum trahens. Et Pontificum Romanorum non pauci, præſertim ſeculo XI. ſc. Sylveſter II. Joannes XIX. XX. & XXI. Benedictus VIII. & IX. Gregorius VI. & omnium peſſimus Gregorius VII. ut ſeculum hoc meritò Draconis magni regnum appelletur Apoc. XX.

Qvàm in Profana: Zoroaſtres, Agonaces, Zarates, Hoſtanes, qvi autores Magiæ creduntur Plinio, Juſtinio, Oroſio &c. Pythagoras, ut Plutarchus refert; Libanius & Jamblicus apud Socrat. Theodoret. &c. Item Johanna Harvilleria, & Magdalena Crucia Cordubenſis, Abbatiſſa in Hiſpania.

Etiam patriâ: ut Othinus, Ollerus, Ericus Ingon: f. Oddo, Hadingus. & Hagberta, Craca, Guthruna. apud Saxon: Olaum Magn., Joh. Magn.

Duobus potissimùm vocabulis in sacris veniunt, sc. הָאֹבֹת & הַיִּדְּעֹנִים ־: Pythones & Scioli; priori vocab. tanqvam Spiritum inclusum significari monstrat Etymon vocis, qvæ cum præfixo similitudinis, sicut utres, lagenas, significat Job. XXXII. 19. id qvod & observantes LXX. exposuerunt ἐγγαστριμύθους, in ventre loqventes. Hinc Esa. VIII. 19. Pythones & arioli dicuntur pipire & mussitare. ־: in ventre suo, intimis faucibus, ita pipire, ut pulli nondum exclusi suo putamine, aut si qvid voce efferunt, id ita mussare ut Sibilla ex tripode, sicut etiam Cap. XXIX. 4. extat: E terra egredietur & ex pulvere pipiet sermo. Altera vox a radice ידע, dicitur a notitia, qvasi gnostes v. prognostes, & talem importat scientiam, qvam qvis acqvisivit, qvando Spiritus suppeditat ipsi communicandas aliis responsiones per Somnia, visiones, figuras, dispositionem viscerum, garritum & volatum avium &c.

Sunt Tales utriusq; sexus, ut plurimum tn. fœminini, qvod evincunt historiæ, qvippe 1. per se nimiùm creduli 2. vindictæ cupidissimi.

THESIS IIda.
Qvos definiunt habere pactum cum Diabolo.

Vel verum, qvod volentes & scientes reipsa cum Diabolo ineunt, Impellunt ad hoc vitiosissimi Affectûs: Nimia tristitia & melancholia, nimia cupiditas vindictæ, aut rerum occultarum & Novarum, animus non contentus sua sorte, insuper summa Impietas propensissima ad omnis generis voluptates & libidines, prava institutio, interdum seductio per alium magum, &c. Obligationem fieri scripto, patet ex historiis, e. g. De homine qvodam Ao. 1530, pro qvo Lutherus publicè & privatim oravit, obtinuitq;

itq; ut ſub concione in templo Sathan in medium projiceret chirographum ſibi ab eodem datum. Simile de Baſilio legitur, qvi Diabolo extorſit chirographum, qvem ipſi dederat Phanias qvidam. Spiritus malus, ſub certa plerumq; formâ, qvæ videri poteſt, apparens, miniſterio ſeſe addicit; ritûs, qvibus ipſum colere debeant, & artes, qvibus cuncta pro lubitu, ſe in auxilium vocatô, efficere qveant odocet, & omnia inſuper magnifica pollicetur, qvibus inqvinatiſſimas mentes ineſcare ſolet tartareus Nebulo. Declarat hæc optimè hiſtoria Matth. IV. 1.—11. Tale pactum non obſcurè indicatur verbis בַּעֲלַת־אֹב 1. Sam. XXVIII. 7. Domina Pythonis, qvæ utebatur Diabolo pythonico tanqvàm ſervo ipſa Domina. Qvale jam pactum inter Dominum & ſervum qvalis contractus, factus a ſcientibus, ſanis ratione, non furioſis, a volentibus, præmeditatis & in unum conſpirantibus, non invitis, aut coactis; talis qvoq; inter Magos & Spiritum illum. Hinc etjam vocabula ſuprà explicata tam Sathanam ipſum qvàm homines Sathanicos denotare deprehenduntur 2. Reg. XXI. 16. 2. Reg. XIII. 24. Actor XVI. 16. Obſervantibus Mercero, Coccejo, Seldeno.

V. Imaginarium, qvod non reipſa cum Diabolo per mutuam ſtipulationem aut Datum chirographum ineunt, ſed Diabolus his vel ſtupidis v. ſemideliris, v. repueraſcentibus aut ſimilibus vitiis præditis imprimit fortem imaginationem & opinionem firmam de facto tali fœdere, qva in perſvaſione ut ipſos ille contineat, præſtigiis ipſorum ſe accommodat & effectûs qvandoq; addit.

THESIS IIItia.

Qviq; opinantur ac profitentur ſe plurima poſſe.

Profitentur, qvòd poſſint producere nubes, ventos, pluvias pruinam, grandines, frigora; iterum fulmina, tonitrua, corruſcationes, ariditates in perniciem frugum, qvæ omnia Anna de Mindelem & Agne ſe feciſſe profeſſæ ſunt Ao. 1488. In libr.

In-

Inqvisit. Qvòd morbos & mortem inferre hominibus, bobus, vaccis, eqvis, ovibus & aliis pecoribus, qvod Staldinum qvendam in Diœcesi Lausanensi professum scribit Niderus. Qvod possint se mutare in Lupos, canes, capras, feles&c. ut ostendit qvæstio contra Ægidium Garnerium Lugdunensem habita Anno 1573. Qvòd pronunciatis vocibus, huat hanat ista pista sista domiabo damnastra, possint Luxata aut fracta membra restituere, ut refert Cato de R. R. &c. Verbô: Magi sibi omnia videntur posse, ut de Erichthone Arcade Saga in Lucano, & de Pamphila Thessala in Apulejo Legimus: Saga, inqvit Apul., divinipotens cœlum deponere, terram suspendere, fontes durare, montes diluere, manes sublimare, sidera exstingvere, tartarum ipsum illuminare.

THESIS IVta.

Qvæ tamen ipsi non efficiunt.

Ad effecta magica producenda utuntur vel certis imprecationum formulis, vel certarum ceremoniarum ritibus. Istis nihil tale qvod contendunt præstari posse certissimum est, cum verborum humanorum per se nulla vis & efficiacia ad producendos aliqvos effectûs physicos, multò minus ordini naturæ contrarios. Et si qvando seqvitur effectus, fit per aliud qvippiam non propter pronuntiatam illam Imprecationis formulam; sic & Imprecationes pientissimi hominis seqvi potest effectus, sed ille non loqventi adscribendus sed loqventem Exaudienti Deo. Hæ sc. ceremoniæ sunt ineptissimæ, risu dignæ, & multò magis sine viribus. Ut constet autem planius, qvàm ludicris mediis operationes maximas tribuant, recensebo nonnulla. Scil. Existimant a se fieri per thus accensum, varios colores, diversa ciborum metallorumq; genera, per scriptas Schedulas in qvibus continentur ignota vocabula: Abracadabra, Buflos, Narthim &c. per additas cruces & alia signa, circulos pictos, per pulveres, ungventa, olea, per ungves, capillamenta, calceorum particulas, filamenta, plumulas, in massam qvandam redacta; per ceream imaginem, qvam fodiunt,

&

& ſperant ſe hominem necare ; per funem cerâ incruſtatum, qvo metiuntur corpus, & ſperant hominem tabe infici &c. Talibus ritibus talia negotia nunqvam efficiuntur, 1. qvia, juxta regulam, qvantitatum & formarum externarum nulla eſt efficacia. 2. Ejusmodi ceremoniæ nullam poſſident cauſſalitatis rationem. 3. Si homo, nullo fœdere Spiritui malo adſtrictus, omnes pulveres, characteres, voces, adhibuerit, ne pulici aut pediculô nocebit. 4. Cogitatione & voluntate poſſe occidere qvenqvam & privare vitâ, abſurdum eſt ; Nam fatentur Malefici innoxium eſſe ſuum venenum, ſi qvis, inſciente malefico, etiam corpore attigerit, qvod ipſum tamen, ſi maleficus vel extremæ veſtis fimbriæ admoverit, ſtatim enecat. 5. Semper etiam ſuccederet veneficis eventus, & ſuis agris tempore admodum arido pluvias proſpicerent, Judices qvæſtionem de ipſis habentes interficerent &c. qvod tentaſſe qvidem illos ſed non potuiſſe præſtare hiſtoriæ teſtantur. Nihili ſunt objectiones : 1. Qvod ſecutus fuerit eventus, nam per ceremonias iſtas hoc non factum. 2. Qvod profeſſi fuerint ſe has artes a diabolo didiciſſe, alios docuiſſe, & hanc profeſſionem inter ultimas torturas conſtanter amplexi. Nam hæc fuit illorum perſvaſiſſima ſed falſa opinio, & mentis Excœcatio. 3. Exempla de Saulo 1. Sam. XXVIII. & ſerpentibus Exod. VII. Nam non fuit verus Saul, nec baculi Magorum in ſerpentes ſunt converſi. Sed qvamvis inutiles & ſuperfluæ ſint Imprecationes & ceremoniæ, dat operam Neqvam genius, ut certò perſvadeat magis, his ſolis deberi eventum, & vult illos manum ad opus adhibere, ne nihil ex ſua iſta cum veteratore Stygio familiaritate profeciſſe ſibi videantur, & ne otium ipſis relinqvat.

THESIS Vta.

Sed Diabolus hæc vel facit vel facere ſe profitetur.

Profitetur ſe multa facere qvæ facere non poteſt, Creare ventos,

fulˍ

ſulmina, pulices, pediculos, &c. ſunt opera ſolius Dei. Non potuit ignem conjicere ſuper carnes in altari Baalis. Non potuit Pharaoni aut Nebochodonoſori reddere aut interpretari amiſſa ſomnia. &c. ſic egô credidero, Sathanam nullo mȯdo poſſe mutare formas creaturarum E. g. hominis in felem; ne qvidem, permittente Deô. Sed Imo qvæ a Deo fiunt, peſſimè traducit perditiſſimus Spiritus, & perſvadet magis hæc a ſe fieri in illorum gratiam. Sic ubi videt apparari in aëre fulmina, & deſtinari ictum in aliqvod individuum, mentitur ſe hominem v. beſtiam necâſſe. Sic ubi à Deo jubetur cœdere hominem & iterum prohibetur violare amplius, dicit veneficis ſe iſtum illorum cauſa & afflixiſſe & ſanâſſe &c. 2do. Perſvadet magis, multa fieri qvæ nunqvam fiunt, e. g. verti illos in lupos, interfuiſſe nocturnis conventibus, &c. qvod tamen ocularibus obſervationibus deprehenſum eſt falſum eſſe. Sed alto ſomno aut lethargo ſopitis objicit per ſomnia diabolicà mille ſpecies & formas, ululantium, currentium qvatuor pedibus, frendentium &c. aut eqvitantium in hircis, convolantium ad unum certum locum, ibi ſe multuò ſalutantium convivantium, ſaltantium &c. has autem imagines tam fortiter imprimit, ut poſtea jurent ſe in lupos verè verſos, ſe aliò raptos. Atq; inſuper inducit membris Laſſitudinem, aut ſi vel Lupis ex agris aut ſylvis in medium productis a Diabolo, vel cadaveribus Lupinis a Spiritu malefico indutis & circumgeſtatis vulnus a ſpectatore infligitur, ſimili vulnere Magos v. Magas cædit, qvò firmius credant revera ita rem fuiſſe. &c. 3tiò. Qvî autem res habeat in negotiis, qvæ poſſunt eſſe objectum potentiæ Sathanicæ, Docet Hieronimus, non adſcribenda illa eſſe ceremoniis aut verbis, ſed operationi Diabolicæ, cum Dicit, Ceremoniis, a Sathana præſcriptis, ritè peractis, Dæmones magis invocatos adſiſtere, &, qvæ cupiunt, facere. Innumeræ itaq; ſunt præſtigiæ, impoſturæ, fraudes, fallaciæ, qvibus miſeros homines circumvenit & dementat infernalis Cacodæmon. Sed Tu, Πάτερ ἡμῶν, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν.

